

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. II - N. 1

1971

# COMMUNICATIONES

PONTIFICA COMMISSIONE CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1971

## EX ACTIS PAULI PP. VI

Litterae apostolicae: <i>Causas matrimoniales</i> . . . . .	3
Adhortatio apostolica: <i>Quinque iam anni</i> . . . . .	8
Allocutiones:	
I. Ad sodales «Giovani Avvocati» . . . . .	17
II. Ad Em.mos PP. Cardinales, recurrente Nativitate Domini . . . . .	19
III. Ad Praelatos Auditores S. Romanae Rotae . . . . .	21
IV. Ad Delegatos Confer. Episcopalium ex Europa . . . . .	29
V. <i>Sapientia paenitentiae</i> . . . . .	31
VI. <i>Libertas in fide</i> . . . . .	33

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>S. Congr. pro Doctrina Fidei</i>	
Nova agendi ratio in doctrinarum examine . . . . .	37
<i>S. Congr. pro Clericis</i>	
De cura patrimonii historico-artistici Ecclesiae . . . . .	40

## *S. Congr. pro Institutione catholica*

De coeducatione in scholis secundi ord. sub relig. moderatione . . . . .	43
--	----

## ACTA COMMISSIONIS

Litterae quibus schema Legis Ecclesiae fundam. Episcopismittitur . . . . .	45
Coetuum studiorum labores . . . . .	47
Opera Consultorum	
I. De Lege Ecclesiae fundamentali . . . . .	50
II. De matrimonio . . . . .	69
III. De recognoscendis Normis Generalibus Codicis I. C. . . . .	81

## DOCUMENTA

I. Praesentatio diurnariis Litt. Apost. <i>Causas matrimoniales</i> . . . . .	95
II. Commentarium in <i>L'Osservatore Romano</i> de Motu proprio <i>Causas matrimoniales</i> . . . . .	101
NOTITIAE . . . . .	107

nes baptizati; verumtamen baptizati possunt esse christifideles sensu pleno vel minus pleno, prouti sunt in plena communione vel non. Omnibus baptizatis per se sunt iura in Ecclesia.

\* \* \*

In hac brevi relatione mentio non fit de variis animadversionibus, quae ad singulos schematis propositi canones factae sunt. Earundem vero ratio habita est in emendando schematis textu. Qui textus emendatus quam certissime magis et magis emendari potest et debet, ut, disceptatione etiam de textu iterum recognito habita, schema apparetur Legis Ecclesiae fundamentalis, qua aptiore quo id fieri possit modo delineetur Ecclesiae, uti hoc in mundo extantis, structura determinaturque partes quas christifideles, pro ordinum et munera diversitate, in eadem habent necnon iura quae ipsis competunt fundamentalia officiaque praecipua quae ipsis incumbunt (Wilelmus Onclin, *Relator*).

## II

### DE MATRIMONIO

#### METHODUS LABORIS

Inde a prima sessione coetus, d. 24-29 m. Octobris a. 1966 habita, methodus laboris fuit sequens. Secretarius Commissionis, qui sessionibus coetus praeesse solet, nisi ipse Eminentissimus Praeses adsit, diu ante sessionem habendam, a singulis consultoribus vota petit de recognoscendo determinato capite « De Matrimonio ». Ex votis a Secretaria receptis et Relatori transmissis, hic conficit relationem, quae comprehendit omnia quae in votis proponuntur, distinctis singulis quaestioni bus, cum argumentis pro et contra allatis; ita ut de illis in sessione ipsa ordinata fieri possit discussio. Singula dubia, tum de substantia canonum tum de ordine inter eos servando, dirimuntur maiori parte sufragationum consultorum praesentium; sententiae autem contrariae in actis referuntur, cum argumentis allatis. Acta singularum sessionum in sessione subsequenti approbationi coetus subiiciuntur. Ut finis laboris praevideatur recognitio totius tituli textus Commissioni Cardinalium proponendi.

## CANONES PRAELIMINARES

Canon 1012 § 1, qua edicitur sacramentalis dignitas contractus matrimonialis duorum baptizatorum, necnon § 2, qua affirmat realem identitatem huius contractus valide initi et sacramenti, intactae remanserunt. De quaestione, qua ratione relatio personalis coniugum, simul cum ordinatione matrimonii ad procreationem, prout in constitutione pastorali Concilii Vaticani II *De Ecclesia in mundo huius temporis «Gaudium et spes»* describitur, in can. 1013 § 1 exprimenda sit, maior pars coetus tandem convenit in affirmandam naturam matrimonii ut intimam totius vitae coniunctionem inter virum et mulierem, quae, indole sua naturali, ad prolis procreationem et educationem ordinatur. Eandem constitutionem secutus, coetus in hac paragraphe notionem finis primarii, procreationis scilicet atque educationis prolis, et finis secundarii, nimurum mutui adiutorii et remedii concupiscentiae, iam adhibendam non esse censuit. Paragraphus autem altera eiusdem canonis, quae agit de proprietatibus essentialibus matrimonii, immutata remanere debere videbatur. Quod attinet ad canonem 1014, de favore quo gaudet matrimonium et de consequenti praesumptione validitatis matrimonii in casu dubii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127, etsi opinio, recenter proposita, hanc scilicet praesumptionem esse abolendam cum praesumptiones non institutis, sed personis favere debeant, in coetu fuit considerata, canonem integrum servandum esse visum fuit, non tantum ad praecavendas frequentes incertitudines de statu matrimoniali, sed maxime quia canon non quidem est iuris divini, tamen nititur iure divino circa matrimonii proprietates essentiales.

De definitionibus legalibus canonis 1015 coetus censuit, omne matrimonium validum dicendum esse legitimum, matrimonium autem quodvis invalidum, in quo una saltem pars est bonae fidei, dici debere putativum. Praesumptio autem consummationis matrimonii ex semel habita cohabitatione, de qua § 2 huius canonis, hoc loco non ponenda esse videbatur, quia est unum ex pluribus consecatriis principii favoris matrimonii, de quo in canone 1014, et potius spectat ad processum de dispensatione super rato non consummato petenda. Quod attinet ad competentiam iuris canonici et iuris civilis in re matrimoniali, convenire videtur ut in canone 1016 rationes, quibus haec competentia nititur, exprimantur. Evidem ab una parte matrimonium, utpote humanae consortios principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter baptizatos initum adnumeretur inter novae legis sacramenta, disciplina eius et cura, quod ad integritatem sanctita-

temque attinet, a Christo Ecclesiae commissae sunt. Matrimonium baptizatorum, etsi una tantum pars sit baptizata, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

Quod ad sponsalitia canonica attinet, cum in plerisque regionibus in desuetudinem abierint, iuri particulari regenda relinquuntur; salvo principio nullam ex matrimonii promissione dari actionem ad petendum matrimonii celebrationem, sed tantum ad reparationem damnum, si qua habeantur. Demum urgendum proponitur munus pastorum animarum impertiendi instructionem catecheticam de matrimonii sacramento, iuxta normas a competenti auctoritate ecclesiastica tradendas.

*CAPUT I: De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent*

In iure communis tantummodo quaedam principia servanda esse videbantur, reliquis iuri particulari statuendis relictis. Urgetur pastorum animarum officium pro temporum locorumque necessitatibus omnia pericula a matrimonio valide ac licite celebrando remedii opportunitis arcere; ideoque antequam matrimonium celebretur constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere (can. 1019 § 1). In periculo autem mortis vel casu urgentis celebrationis, si aliae probations haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium sincera et, si casus ferat, etiam iurata, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento (can. 1019 § 2). Normae peculiares quod attinet ad investigationes faciendas examine sponsorum, publicationibus matrimonialibus aliisve mediis opportunis, quibus diligenter observatis, parochus procedere possit ad matrimonio assistendum, Conferentiis Episcoporum statuendae relinquuntur (can. 1020). Hac de causa in iure communis abrogandi proponuntur canones 1020 vigens, 1022-1026, de publicationibus matrimonialibus, necnon canones 1030 et 1031. Suppressa autem can. 1021 § 1, servanda videbatur norma eiusdem canonis § 2, iuxta quam catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo. Item norma canonis 1027 de obligatione fidelium revelandi impedimenta, si quae norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem. Servandae quoque videbantur normae de dispensatione a publicationibus matrimonialibus ab Ordinariis propriis danda, cum hae excedere possint competentiam Conferentiarum Episcoporum (can. 1028); de exitu investigationis in statum liberum, factae ab alio parocho, com-

municando parocho cuius est assistere matrimonio (can. 1029); de licentia Ordinarii loci petenda pro matrimonio a vagis contrahendo (can. 1032). Ad quod notandum est, suppresso quidem can. 1075, n. 1, ita ut non amplius habeatur impedimentum criminis ex adulterio et attentatione matrimonii civilis, tamen esse mentem coetus, ut in his casibus eodem modo procedatur ac in can. 1032. In canone 1033 textus Codicis ad simpliciorem formam redactus retinetur, addita altera paragraphe de celebratione matrimonii a parocho paranda, ita ut dignitas sacramentalis eluceat et coniuges ac ceteri adstantes actuose participant ritum sacrum. Norma demum can. 1034 de hortandis filiisfamilias minoribus ne nuptias ineant insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, de non assistendo matrimonio eorum nisi consulto prius loci Ordinario, integra retinenda esse videbatur.

#### CAPUT II. *De impedimentis in genere*

In hoc capite principia maioris momenti a coetu admissa sunt sequentia. Conferentiis Episcoporum facultas tribuenda proponitur statuendi impedimenta iuris particularis, tum prohibentia tum etiam dirimentia, eisdemque abrogandi vel derogandi; salvis utique impedimentis iuris communis. Quod attinet ad facultates Ordiniorum locorum dispensandi ab impedimentis iuris ecclesiastici communis, in novo iure recipienda erit disciplina iam a Motu Proprio *De Episcoporum munerebus* introducta, scilicet eosdem gaudere dispensandi facultate, nisi in casibus Sedi Apostolicae expresse reservatis; hi casus autem respiiciunt: impedimentum aetatis, quoties aetatis defectus annum excedat; impedimentum ortum ex diaconatu vel presbyteratu vel ex sollemni professione religiosa; impedimentum criminis de quo in can. 1075 (ubi remanet tantum crimen « cum machinatione »); impedimentum consanguinitatis in linea recta et in linea collaterali usque ad secundum gradum mixtum cum primo; impedimentum ortum ex affinitate in linea recta.

Cum omnia impedimenta gradus minoris abroganda esse viderentur, distinctio quoque inter impedimenta gradus minoris et impedimenta gradus maioris ipso facto erit supprimenda. Porro opportunum videtur ut in casibus urgentis mortis periculo, de quibus canones 1043 et 1044, necnon in casibus in quibus iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur, de quibus can. 1045, ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici dispensari possit, excepto

dumtaxat impedimento proveniente ex sacro presbyteratus ordine. Quod autem attinet ad dispensationem ab hoc impedimento ex sacro presbyteratus ordine, consultores dubitaverunt utrum in casibus urgentis mortis periculi Ordinariis locorum, ad normam canonis 1043, haud importune facultas hanc dispensationem concedendi tribui possit. Cum autem tales dispensationes tangere possint legem coelibatus, praesertim si in casu non sacerdos, sed mulier in mortis periculo versetur, quaestionis solutionem proponere noluerunt, quaestionem tamen ipsam in actis referendam auctoritatique superiori decidendam relinquendam esse censuerunt.

Admissis principiis de suppressis tum impedimentis gradus minoris, tum multiplicitate impedimentorum, canones 1049-1050, 1052-1054, 1056-1057 omitti posse videntur. Quod attinet ad subiecta impedimentorum iuris mere ecclesiastici, novum proponitur principium, scilicet non omnes baptizatos, sed tantum in Ecclesia catholica baptizatos vel extra eam baptizatos sed postea in eam receptos eisdem impedimentis teneri, id autem etiam si ab eadem deinde forte defecerint.

Et haec quidem sunt praecipua notanda de capite de impedimentis in genere, quod ad mutationes propositas attinet. Can. 1035 de iure fundamentali matrimonium contrahendi non fuit mutatus. In can. 1036 loco locutionis « impedimentum impediens » proponitur « impedimentum prohibens ». Can. 1037 saltem provisorie proponitur ita, ut publicum censeatur impedimentum quod publico ex facto oritur vel alio modo probari in foro externo potest; secus est occultum. In can. 1038 ius authenticé declarandi quandonam ius divinum matrimonium prohibeat vel dirimat, necnon ius statuendi alia impedimenta matrimonium prohibentia vel dirimentia pro baptizatis, ut in iure vigenti, Supremae Auctoritati Ecclesiasticae reservantur, salva competentia Conferentiis Episcoporum tribuenda, de qua iam dictum est. Servanda quoque proponitur facultas Ordinariorum locorum matrimonia in casu peculiari vetandi, cui vetito una Suprema Auctoritas Ecclesiastica clausulam irritantem addere potest. Reprobata manet consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria. Nihil mutantum visum fuit in cann. 1046 et 1047. De casu can. 1048 iam satis provisum est in can. 204, § 2. In can. 1051 placuit proponere ut concessa dispensatione ab aliquo impedimento, concedatur quoque, celebrato matrimonio, eo ipso legitimatio proliis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega. Simplicior proponitur redactio can. 1055, iuxta quam dispensationes super publicis vel notis impedimentis exsequitur Ordinarii.

narius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi iam in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contracturi sunt. Suppresso canone 1056, canon 1057, vi cuius ii qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant, hoc loco suppri-mendus quoque videtur; quaestio autem ipsa, quae latius patet, de exprimenda scilicet mentione indulti quo potestas delegata conceditur, ad normas generales de potestate ordinaria et delegata esse remittenda.

#### CAPUT III. *De impedimentis prohibentibus*

Admissum fuit principium vota dumtaxat publica constituere im-pedimenta canonica, proinde votum tantummodo publicum tempora-neum castitatis perfectae matrimonium prohibere. Praeter impedimen-tum cognitionis legalis ortae ex adoptione, de quo in cann. 1058 et 1080, forte aliquid opportune statuendum erit de impedimento cogni-tionis legalis ortae ex tutela. Quod autem ad disciplinam de matrimoniis mixtis spectat, normae de illis, d. 31 m. martii a. 1970 a Paulo Pp. VI promulgatae Motu Proprio « Matrimonia mixta », congruenti ratione in novo Codice erunt inserenda.

#### CAPUT IV. *De impedimentis dirimentibus*

In hoc capite praecipuae mutationes a coetu hucusque admissae sunt sequentes.

Opportunum visum fuit in canone 1068, § 2 non tantum edicere matrimonium, si impedimentum impotentiae dubium sit, non esse im-pediendum, sed etiam expresse statuere id neque nullum declarandum esse; ita ut tribunalia ecclesiastica non possint declarare nullum matrimoniū celebratum cum impedimento impotentiae dubio, vi primae partis huius paragraphi. Nimis enim incongruum est, ut eadem matrimonia, quae Ecclesia iniri non prohibet, tamen semel inita invalida declararentur.

Impedimentum dirimens ordinis retinendum proponitur quoad or-dines presbyteratus et diaconatus; et quidem ita ut diaconus quoque coniugatus inhabilis sit ad novum matrimonium, priore soluto, contra-hendum. Quod attinet ad impedimentum dirimens ortum ex voto pu-blico perpetuo castitatis perfectae, exspectandum erit quid in novo

iure statuatur de distinctione iuris vigentis vota sollemnia inter et vota simplicia; interim autem proponitur ut omnia vota publica perpetua castitatis perfectae constituant impedimenta dirimentia.

Impedimentum raptus, prout in iure vigenti habetur, conditionibus modernis iam non aptum esse satis patet. Cum autem etiam hodie minime rari sint casus, in quibus puellae praesertim consensum matrimonialem praestant, dum, contra vel etiam praeter voluntatem abductae vel retentae, in statu subiectionis versantur, impedimentum dirimens retinendum esse videtur, quamdui maneat influxus subiectionis mulieris intuitu matrimonii contrahendi abductae vel retentae. De impedimento autem criminis retinenda proponitur tertia tantum species, ita ut invalide matrimonium attentet qui intuitu matrimonii cum certa persona ineundi huius coniugi aut coniugi proprio mortem intulerit. Cf. tamen ea quae supra p. 71 ad canonem 1032 notata sunt.

In linea collaterali impedimentum consanguinitatis ad secundum gradum, impedimentum autem affinitatis ad primum gradum limitandum esse videtur; verum multiplicationem horum impedimentorum esse abolendam. Proponitur ut impedimentum publicae honestatis oriatur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem, praeterquam ex publico vel notorio concubinatu; et dirimat nuptias in primo tantum gradu lineae rectae; matrimonium autem invalidum comprehendat matrimonium civiliter tantum contractum sed canonice invalidum. Impedimentum demum cognationis spiritualis hodie non iam retinendum esse videtur.

#### CAPUT V. *De consensu matrimoniali*

Ut in canone 1013, doctrina Concilii Vaticanii II de matrimonio et de consensu matrimoniali etiam in hoc capite plures mutationes in canonibus de consensu matrimoniali introducendas requirit; cum quod ad consensus obiectum attinet, tum quod spectat ad defectum consensus ratione exclusionis elementi essentialis eiusdem obiecti. Ex voto maioris partis coetus, consensus proponitur ut actus voluntatis, quo vir et mulier foedere inter se constituunt consortium vitae coniugalnis, perpetuum et exclusivum, indole sua naturali ad prolem generandam et educandam ordinatum. Unde sequitur, inter elementa essentialia obiecti consensus, quorum exclusio consensum reddit invalidum, recensendum esse ius ad vitae communionem, ita ut can. 1086 § 2 sic sonet: « At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut ius ad vitae communionem, aut ius ad coniugalem

actum, vel essentialem matrimonii proprietatem, invalide contrahit ». Ut peritis ultro patebit, consulto dictum est « ius » ad vitae communione, ita ut tunc tantum consensus sit invalidus, si in ipso contractu matrimoniali vitae communio, quatenus ad essentiam coniugii pertinet, excludatur, seu « matrimonium » ita intendatur, ut comparti ius illud non habeat. Porro communio vitae, coniugii propria, non confundenda est cum cohabitatione.

Loco normae canonis 1084, vi cuius simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimoniale, coetui praeplicuit proponere, ut error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo non afficiat voluntatem, non vitiet consensum matrimoniale. Error enim circa sacramentalem dignitatem, dummodo ambae partes contrahentes baptizatae velint contrahere matrimonium unum et indissoluble, nihil efficit, cum tale matrimonium sit sacramentum independenter a voluntate partium — nisi utique exclusionem sacramenti consensui apposuerint ut veram condicionem, ita ut ipsum matrimonium non voluerint, si sit sacramentum; quod autem huc non pertinet —.

Porro non placuerunt verba « etsi det causam contractui » et eorum loco posita sunt verba « dummodo non afficiat voluntatem ». Attamen expresse facta est quaestio an per hanc mutationem alius sensus canonii daretur et fere omnes Consultores responderunt se retinere velle sensum quem nunc habet canon secundum communem interpretationem.

Placuit ut metus etiam inconsulto incussus, reliquis utique conditionibus canonis 1087 § 1 impletis, invalidum reddat consensum matrimoniale. Ratio est, quod defectus libertatis in contrahente, qui metum patitur, idem est, sive metus incutitur intuitu matrimonii contrahendi sive cum alia intentione. Supprimenda proponitur paragaphus altera eiusdem canonis, iuxta quam nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert. Si enim intellegitur de metu, qui provenit ex vi quae libertatem omnino tollit, falsa est; si neque de hoc metu, superflua.

Ut adsit scientia minima, sine qua consensus matrimonialis haberi nequeat, necesse esse videbatur ut contrahentes saltem non ignorent cooperationem aliquam corporalem requiri ad prolem procreandam. Invaliditas matrimonii orta ex errore circa servitutem proprie dictam alterius partis servanda non videtur. Diu deliberatum est utrum introducendus esset defectus consensus ex dolo proveniens. Tandem unanimi consensu coetus pervenit ad conclusionem defectum consensus ex dolo

provenientem in novo iure esse admittendum. Attamen graves statuendae sunt condiciones, scilicet ut dolus patratus fuerit ad obtainendum consensum matrimoniale; ut dolus versetur circa qualitatem alterius partis et quidem circa talem qualitatem compartis, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum.

Nihil refert utrum talis dolus patratus sit a parte contrahenda an ab alia persona. Inter Consultores aliquantisper disceptatum est de motivo nullitatis matrimonii ex dolo contracti, aliis tuentibus id iniustitiae doli tribuendum esse, aliis, vero, vitio libertatis consensus ex dolo derivanti.

Etsi principia de incapacitate consensum matrimoniale validum eliciendi implicite in iure vigenti continentur, visum fuit expedire eadem distinctius et clarius in novo iure exprimenda esse. Quare distinguuntur: incapacitas totalis eliciendi talem consensum ob mentis morbum vel perturbationem qua usus rationis impeditur; incapacitas proveniens ex gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda; incapacitas assumendi obligationes essentiales matrimonii proveniens ex gravi anomalia psycho-sexuali. Dum in duobus prioribus casibus ipse actus subiectivus sane psychologicus consensus defectu substanciali laborat, in ultimo casu a parte contrahentis actus ille forte integer elici potest, ipse tamen incapax est obiectum consensus implendi, inde incapax quoque assumptam obligationem illud implendi; quare tertius quoque casus recensendus videbatur inter defectus consensus, potius quam subsumendus sub nomine impotentiae, non quidem physicae, sed moralis, accidente ratione confusionis cum potentia psychica vitandae.

Ardua quaestio de matrimonio sub condicione contracto diu fuit discussa. Non videbatur sufficienter clarum statuere matrimonium sub condicione contrahi non posse: etenim tunc non constat utrum de sola liceitate sermo sit an insuper de validitate consensus. Cum inconvenientia matrimonii sub condicione initi praesertim obtineat si condicio de futuro consensui apposita fuerit, admissum fuit principium matrimonium scilicet sub condicione de futuro valide contrahi non posse. Principium ex ipsa natura rei valet de condicionibus de futuro contra substantiam matrimonii; iure autem positivo invaliditas statui potest etiam si condicio de futuro licita consensui apposita fuerit. E contra opportunum visum non fuit condicionibus omnibus de praesenti vel de praeterito vim irritantem tribuere, unde servandum esse proponitur principium iuris vigentis, vi cuius matrimonium sub condicione de praeterito vel de praesenti initum validum erit vel non, prout

id quod condicioni subest, exsistit vel non; apposita tamen clausula ad evitandas, quantum fieri possit, condiciones minus convenientes, scilicet huiusmodi condicionem de praeterito vel de praesenti consensu apponi licite non posse, nisi cum licentia Ordinarii loci scripto data. Can. 1092, n. 2, quo invalida declarantur matrimonii inita sub condicione de futuro contra substantiam matrimonii, suppressus videbatur, cum hic non agitur de condicionibus veri nominis, sed de actu positivo voluntatis quo elementum essentiale matrimonii excluditur; de hoc autem actu cavetur in can. 1086, § 2.

Quod demum ad praesumptionem perseverantiae consensus pertinet, admissum fuit hanc praesumptiorem valere quando matrimonium invalidum fuit non tantum ratione impedimenti, sed etiam ratione defectus formae; ut ceteroquin iam in iure vigenti subintelligitur.

#### CAPUT VI. *De forma canonica celebrationis matrimonii*

Praemisso principio matrimonio ordinarie valide celebrari tantum si contrahuntur assistente parocho vel loci Ordinario vel persona ab alterutro delegata coram duobus testibus, definitio proponitur actus ipsius assistendi, scilicet assistere matrimonio est praesens requirere manifestationem contrahentium consensus eamque recipere; quae definitio deinde valet pro omnibus assistantibus matrimonio. Parochus autem et Ordinarius loci, vi officii, in matrimonii non tantum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt intra fines sui territorii, a die initi officii, quamdiu valide officio funguntur.

Cum iam vi iuris hodie vigentis etiam diaconis delegari possit facultas matrimonii assistendi, in iure quoque novo cum sacerdotes tum diaconi huiusmodi facultatem delegatam recipere poterunt. Non opportunum visum est ut in iure communi statuatur aliis quoque personis talem facultatem delegari posse; salvis utique indultis specialibus a Sancta Sede forte concedendis. Admissum tamen fuit ut cum sacerdotibus, tum etiam diaconis generali quoque dari possit delegatio. Delegatio facultatis assistendi matrimonii, ut valida sit, determinatis personis expresse, immo, si de delegatione generali agitur, scripto dari debet. Delegatio specialis concedenda non est nisi postquam pro visum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda. In casu delegationis generalis ad licitum usum facultatis delegatae requiritur licentia parochi vel Ordinarii loci quo matrimonium

celebratur. Haec licentia opportune praescribitur non tantum, quia plerumque parochi erit inquirere de statu libero contrahentium priusquam licentiam det, sed etiam ne in paroecia matrimonia inscio parocho celebrentur. Ceterum omnes assistentes matrimoniis illicite agunt nisi constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris.

Etsi, introducta delegatione generali, quae dari poterit etiam sacerdotibus et diaconis, qui non sunt vicarii cooperatores in paroecia parochi delegantis, iam sperare licet numerum matrimoniorum, ex defectu formae canonicae invalidorum, imminutum iri, maneret tamen inconveniens sat grave, matrimonia scilicet, celebrata assistente sacerdote vel diacono, qui valida facultate assistendi caret, etiam in futuro invalida fore, etiam si bona fide inita fuerint. Quapropter proponitur, ut matrimonium, contractum assistente sacerdote vel diacono, valida assistendi facultate non munito, ab Ecclesia in radice sanetur ab ipso momento celebrationis, tribus tamen additis clausulis irritantibus, scilicet: dummodo matrimonium celebretur in ecclesia vel in publico oratorio; dummodo assistens ab auctoritate ecclesiastica non fuerit prohibitus ne matrimonio assistat; dummodo contrahentes sint in bona fide.

Quod attinet ad locum ubi matrimonium est celebrandum, visum fuit ut matrimonium celebretur in paroecia, ubi alterutra pars habet domicilium vel quasi-domicilium vel menstruam commorationem; ut tamen etiam alibi celebrari possit habita licentia parochi huius paroeciae, nisi iusta causa a licentia petenda excuset; matrimonia autem vagorum, qui ne menstruam quidem commorationem habent, celebrentur in paroecia ubi actu commorantur.

Forma extraordinaria celebrationis matrimonii, de qua in can. 1098, et quidem illa quae extra periculum mortis adhiberi potest, multis gravibusque querelis ansam dedit de abusu huius formae; quo fit ut sub praetextu gravis incommodi habendi vel adeundi intra mensem ministrum sacrum qui matrimonio in forma ordinaria assistat, matrimonia haud pauca clandestina contrahantur, maxime, sed non unice, in illis regionibus ubi lex civilis poena plectit ministrum religionis, qui assistit celebrationi matrimonii religiosi antequam matrimonium civile locum habuerit. Coetus varias clausulas, ad praecavendos huiusmodi abusus propositas, consideravit, ut: « dummodo forma ordinaria celebrationis non in fraudem iuris ecclesiastici omittatur »; aut: « dummodo recursus ad Ordinarium loci, si fieri, possit, omissus non fuerit »; aut eandem clausulam additis verbis: « et matrimonium non celebretur

nisi post mensem ab interposito recursu sine responsione »; aut: « dummodo matrimonium ne celebretur contra Ordinarii loci vetitum »; aliasque plures. Exitus discussionis fuit nullam inveniri posse clausulam, quae tum efficaciter abusus removere valeat tum ita definita sit ut clare et certo constet quando celebratio sit valida, quando vero non. Cum autem scopus formae extraordinariae sit ut illi, qui forma ordinaria uti aut omnino nequeunt aut nonnisi cum gravi incommodo, tamen ius matrimonium, utique validum, contrahendi exercere possint, praepaluit canonem 1098, quod ad substantiam attinet immutatum relinquere; tantopere enim urget ius matrimonium certo validum contrahendi, ut propter abusus formae extraordinariae, ne graves quidem, incertum reddi nequeat.

De subiectis formae canonicae visum est una formula comprehendi illi, qui in can. 1099 § 1, nn. 1 et 2, separatim significantur, ita ut forma canonica servanda sit si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata est vel in eam recepta, nec et hic habetur immutatio gravis normae canonis 1099, § 1, actu formali aut notorie ab ea defecit. Maiori enim parti coetus placuit ut illi, qui Ecclesiam catholicam palam reliquerunt ideoque formam canonicam celebrationis matrimonii numquam observent, nihilominus validum matrimonium contrahere possint, servatis utique aliunde servandis.

Quaestio, quaenam sit forma observanda si catholici orientales cum catholicis latinis contrahant, utpote respiciens ius de relationibus inter varios ritus servandum, pro nunc remissa fuit. Quoad matrimonium inter partem catholicam — de qua supra — et partem acatholicam, in novo iure recipienda erit norma iam nunc vigens, scilicet si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius esse ab eadem in singulis casibus dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis; Conferentiae autem Episcoporum esse normas statuere, quibus praedicta dispensatio concordi ratione alicite concedatur;<sup>1</sup> si autem pars catholica — de qua supra — contrahit matrimonium cum parte acatholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est tantum ad liceitatem; ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Motu Proprio *Matrimonia mixta*, 31 mart. 1970, n. 9: *A.A.S.* 62, 1970, p. 261; verba « in singulis casibus » sunt addita; clausula « salva tamen aliqua publica forma celebrationis » in Motu Proprio habentur in fine sententiae, post verbum « concedatur ».

<sup>2</sup> S.C. pro Ecclesia Orientali, decretum *Crescens matrimoniorum*, 22 febr. 1967: *A.A.S.* 59, 1967, p. 166.

Quoad formam liturgicam celebrationis matrimonii, servata substantia canonis 1100, proponitur altera paragraphus, scilicet Conferentias Episcoporum facultatem habere, probante Sede Apostolica, exarandi ritum proprium matrimonii, congruentem locorum et populum usibus ad spiritum christianum aptatis; firma tamen lege ut minister sacer assistens praesens requirat manifestationem contrahentium consensus eamque recipiat.<sup>3</sup> De ritu benedictionis nuptialis, qui ad ritum ipsius celebrationis matrimonii non pertinet, nihil in novo iure Codicis statuere placuit. Quod autem attinet ad ritum celebrationis in matrimonii mixtis servandum, iam satis provisum videbatur in canone 1100. (Petrus Huizing, *Relator*).

